

1538

cum obversis puppibus, tormentorum nostrorum ictibus paterent, neque loci angustia aut sibi invicem auxilio esse, aut a reliqua classe, quæ sinu continebatur, subsidia mitti possent. Id cum Auria, qui mediam aciem tenebat, animadvertisset, propius se in hostes intulit; qua ex re cunctorum ad præclaram a fortuna proterendi hostis oblatam opportunitatem erectis animis, quidnam ipse moliretur, attentissime circumspiciebatur; cum ad arctos sinus aditus accursurus videretur, ut perturbatos, atque incompósitos hostes cum reliquis foederatis adortus, reditu intercluderet; ac globorum procella a tergo, atque a lateribus obrueret, & in ipso sinu deleret. Verum cum in conspectum hostium venisset, præter omnium spem, statim gravibus propositis pœnis, triremes se recipere jussit, classemque omnem ad Leucadis insulæ promontorium, quod *Ducaturn* vocant, coegit, non sine omnium querelis, turpibusque in Auriam maledictis, ac probris, quod vel ignavo, vel maligno consilio eximiam profligandi hostis occasionem, quæ jam prope manibus teneretur, elabi permisisset.

Andreas
Auria spem
maxima vi-
etoriae adi-
piscendæ
amittit.

Leucade denuo exquisitis ducum sententiis, nonnulli cum triremium manu Naupactum oppugnandum censebant, ut, educto ex angustis hoste, libero mari configeretur. Alii quamprimum Nicopolim redeundum arbitrabantur: nihil movente Turca, oppidi expugnationem tentandam; vel, pugnandi facultate oblata, prælio decernendum. Igitur iij. kalend. octobris, nihil immutato acierum ordine, Leucade nostri solvantes, in hostes prospero vento, navibus onerariis præmissis, iter intendunt. Dum hæc fierent, Chariadenus universam classem in apertum pelagus eduxerat, ea ratione instructam, ut mediam ipse aciem obtineret; dextrum cornu Tabaches, Salecus sinistrum pari triremium numero ducerent. Secundo vento sese inferentem, nostri priusquam ad sinus fauces accessissent, adversus ipsos venientem conspexere. Tunc Auria ad reliquos classis imperatores conversus dixisse fertur: *Hostem jam e sinu, uti maxime optabamus, eduximus: in nobis certamen inire situm est: hoc momento omnis christianæ reipublicæ incolumitas, ac dignitas vertitur. Videte, ne in incertam fortune aleam classem non modo istam, verum foederatorum Principum decus, & salutem conjiciamus. Quo enim, tot navibus,*

ac